

PSALMUS XIX. LATINE  
VERSUS.

- M**oderatori *Musicæ*, Psalmus Davidis.
- 2 Cœli enarrant gloriam Dei, & *eos esse opus manuum ejus* significat extensio eorum.
- 3 Dies ad diem eructat sermonem; & nox nocti patefacit scientiam.
- 4 Nullus est sermo, nullaque sunt verba: in quibus non audiatur vox eorum.
- 5 In omnem terram exivit linea eorum, & in extremitatem globi terrestris verba eorum: Soli posuit tentorium in eis.
- 6 Et hic tanquam sponsus prodit ex thalamo suo, & gaudet, tanquam robustus bellator ad conficiendum iter suum.
- 7 Ab extremitate unâ ccelorum egressus ejus, & revolutio ejus versus eisdem eorum extremitates: nec est res, quæ abscondatur à calore ejus.
- 8 Doctrina Domini est perfecta, facit ut anima revertatur à malo ad bonum: testimonium Domini est verax, sapientiam afferens imperito.
- 9 Præcepta Domini sunt recta, verè exhilarant cor: mandatum Domini est purum, illuminans oculos.
- 10 Timor Domini est purus, permanens in perpetuum: Judicia Domini sunt ipsa veritas: & deprehenduntur justa pariter.
- 11 Digna sunt quæ desiderentur magis, quam aurum, & quidem aurum purgatissimum; dulciora sunt melle, & quidem acceto melle.
- 12 Etiam servus tuus commonefit istis: dum observat illa judicia, proventus copiosus ad eum redibit.
- 13 Nam errores quis intelligat? Ab occultis peccatis purga me.
- 14 Etiam prohibe à superbiis servum tuum, ne dominantur mihi; tunc perfectus ero, & vacuus transgressione crebrâ.
- 15 Sint accepti sermones oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo, Domine, qui es rupes mea, & redemptor meus.